



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Jacobi Alvarez de Paz Opera**

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

**Álvarez de Paz, Jacobo**

**Lvgdvni, 1611**

Oratio Ad Postvlandam vitam spiritualem.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

nec iussioni maiorum contradicas, sciens, quia Dominus potens in misericordia, paupertatem tuam dabit, defectus supplebit, & vires, tum internas tum externas, ad laborandum suppeditabit. Ipse enim, qui obedientiae est amator, humilitatisque protector, tua obedientia placatus, & humilitate contentus, quae vltro se offerenti nocerent, faciet, ut humiliter obedienti, non noceant, neque altissimarum functionum

A exercitationem impedian. Quod adhuc mortificationis deest, tribuet, quod vitiorum, & paucorum affectuum manet, exinguet, quod virtutis desideratur, inferet, quod orationis abest, abunde erogabit, & manifeste videbimus, quia vna humilis obedientia, ea bona congregat, quae superba arrogantia, & ambitio temeraria dispergit.



## ORATIO AD POSTULANDAM vitam spiritualem.

**D**OMINE Deus omnipotens, & Sancte, qui purus & illibatus spiritus cum sis, carnis foeditates & spurcicias exhorres, atque à creaturis tuis in spiritu & veritate vis adorari, respice nos pauperculos & imbecillos oculis immensa benignitatis tuae, & quos per religiosam vocationem à cæcitate saeculi eripuisti, à morte operum carnalium exoluisti, & ad vitam spiritualem inuitasti, fac, opere vitam spiritualem tenere, & ardentissime ad expugnationem vitiorum, affecutionem virtutum omnium, & ad orationis studium aspirare. Lacrymae, ô Domine Deus meus, nos à peccatis emundent: gemitus & mortificationis labores à vitis ac pravis affectibus liberent, actiones studiosae sanctarum virtutum indumentis exornent, & orationis dona, mentem nostram, & omnes affectus cordis nostri tibi copulent, ut viri sancti & spirituales effecti, & tibi gratissimi, & proximis nostris viles inueniamur.

Amen.

